

HORACE

Odes I, 4

Soluitur acris hiems grata uice ueris et Fauoni
 trahuntque siccas machinæ carinas,
 ac neque iam stabulis gaudet pecus aut arator igni
 nec prata canis albicant pruinis.
 5 iam Cytherea choros ducit Venus imminente luna
 iunctæque Nymphis Gratiae decentes
 alterno terram quatiunt pede, dum grauis Cyclopum
 Volcanus ardens uisit officinas.
 10 Nunc decet aut uiridi nitidum caput impedire myrto
 aut flore, terræ quem ferunt solutæ ;
 nunc et in umbrosis Fauno decet immolare lucis,
 seu poscat agna siue malit hædo.
 Pallida Mors æquo pulsat pede pauperum tabernas
 regumque turris. O beate Sesti,
 15 uitæ summa breuis spem nos uetat inchoare longam.
 iam te premet nox fabulæque Manes
 et domus exilis Plutonia, quo simul mearis,
 nec regna uini sortiere talis
 20 nec tenerum Lycidan mirabere, quo calet iuuentus
 nunc omnis et mox uirgines tepebunt.

Odes I, 14

O nauis, referent in mare te noui
 fluctus. O quid agis ? Fortiter occupa
 portum. Nonne uides ut
 nudum remigio latus,
 5 et malus celeri saucius Africo
 antemnaque gemant ac sine funibus
 uix durare carinæ
 possint imperiosius
 10 æquor ? Non tibi sunt integra lintea,
 non di, quos iterum pressa uoces malo.
 Quamuis Pontica pinus,
 siluæ filia nobilis,
 15 iactes et genus et nomen inutile :
 nil pictis timidus nauita puppibus
 fidit. Tu, nisi uentis
 debes ludibrium, caue.
 20 Nuper sollicitum quæ mihi tædium,
 nunc desiderium curaque non leuis,
 interfusa nitentis
 uites æquora Cycladas.

"Beatus ille qui procul negotiis,
 ut prisca gens mortalium,
 paterna rura bubus exercet suis
 solutus omni fœnore
 neque excitatur classico miles truci
 neque horret iratum mare
 forumque uitat et superba ciuium
 potentiorum limina.
 Ergo aut adulta uitium propagine
 10 altas maritat populos
 aut in reducta ualle mugientium
 prospectat errantis greges
 inutilisque falce ramos amputans
 feliciores inserit
 aut pressa puris mella condit amphoris
 aut tondet infirmas ouis.
 Vel cum decorum mitibus pomis caput
 Autumnus agris extulit,
 ut gaudet insitiua decerpens pira
 20 certantem et uuam purpuræ,
 qua muneretur te, Priape, et te, pater
 Siluane, tutor finium.
 Libet iacere modo sub antiqua ilice,
 modo in tenaci gramine :
 labuntur altis interim ripis aquæ,
 queruntur in Siluis aues
 frondesque lymphis obstrepunt manantibus,
 somnos quod inuitet leuis.
 At cum tonantis annus hibernus louis
 30 imbris niuisque comparat,
 aut trudit acris hinc et hinc multa cane
 apros in obstantis plagas
 aut amite leui rara tendit retia
 turdis edacibus dolos
 pavidumque leporem et aduenam laqueo gruem
 iucunda captat præmia.
 Quis non malarum quas amor curas habet
 hæc inter obliuiscitur ? [...]